



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

De Sanctorum Festiuitatibus Annitotius - Nvnc Demvm Integre Svppleti,
Concionibus per octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

In Festo Exaltationis S. Crucis. Ego si exaltatus fuero à terra, &c. Ioan 12.
1. De S. Crucis veneratione. 2. De eiusdem maiestate figuris expressa. 3.
De exaltatione ipsius multiplici. 4. De verbis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56205](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56205)

IN FESTO EXALTATIONIS
SANCTAE CRVCIS.

Partitio.

- I. De S. crucis ueneratione.
- II. De eiusdem maiestate figuræ expressæ.
- III. De eius exaltatione multiplici.
- IV. De uerbis illis: Omnia traham ad meipsum.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ioan. 12.

FIGVRA.

2. Reg. 23.

SI veteris legis Sacerdotes magna obseruantia & cultu in sanctuario iuxta arcam Testamenti suspenderunt enses, quo Goliath Gethæo ceruicem Dauid adulescens preciderat, inuolutum post Ephod, ut tam, illustri facinoris instrumentum trophæum quodammodo foret & perpetuum tum generositatis Dauidicæ, tum gloriosissimæ de Philisthæis relatæ uictoriae monumentum: æquid ergo mirum, Redemptoris crucem, qua ille mortem mori coegit, ac diabolus subiugauit, hodie tanto cultu & honore exaltari uelut magnitudinis ac potentia: Iesu Christi, illiusque triumphorum, ac de uniuerso mundo subactis uictoriarum signaculum, trophæum ac monumentum? illustri & multis digna uerbis materia est: uerum ut ipse eam deducere, & uos audire digni reddamini, more solito cælo auxilium aduocemus, cor sursum extollamus, genua uero deorsum submittamus, quo Spiritus Paraleti opem imploremus, idque pio Virginis gloriosissimæ interuentu & patrocinio, quam hanc ob causam Angelica uoce compellabimus.

AUE MARIA.

I.
Signum crucis ab omniaibus gentibus cultum.

Admirabile sanctissimæ, sacratissimæ, & maxime uenerandæ crucis signum, adeo illustre, regium, mysticum, mirabile ac regium in seipso est, ut permulæ gentes nescio quo occulto patet motu aut instinctu suauo

id cultu affecterint, & maximopere, etiam longo ante tempore, quam in orbem Redemptor aduenisset, honorarint. Arabes namque astrologiæ laude inelyti, & quorum omne studium in cælorum motu, reuolutione, cursu, actione, influu indagando situm erat, inter omnes figuras, imagines, symbola, que uel saxis aut metallo insculpebant, crucis figuram imprimis magni faciebant, & ceteris preferebant, ut quidem Marsilius Ficinus auctor est.

Non minoris apud ueteres Aegyptios estimationis erat: antequam enim characterum ac litterarum notas adinuenissent, & calamis ad scribendum uterentur, varias rerum variarum figuras, uti arborum, animalium, lapidum ac mineralium, aliasque plurimas exculebant, quas hieroglyphicas nominabant. Sed in his primum cruci dabant locum, que uel uitam, uel salutis spem exprimebant. Hinc carissima illis erat, & in summi honoris signum magni Dei Serapidis pectori ab ipsis solita insculpi. Unde Rufinus in Ecclesiastica sua historia: Signum Domini- ca crucis, inter illas, quas dicunt hieroglyphicas, id est, Sacerdotes literas habere Aegyptii dicuntur, uelut unum ex ceteris litterarum, quæ apud illos sunt: elementis: cuius littera seu uocabuli hanc asserunt esse interpretationem, uita uentura.

Idem refert & Socrates, & addit, templo Serapidis, quod primarium Aegyptiorum erat numen, diruto, inter rudera & ueteres substructiones, lapides quosdam characteribus insculptos, repertos, qui crucis figuram representabant, quam apud Aegyptios summo in honore, & uir ait fuisse symbolum. Simile quid refert & Petrus Crinitus.

Erant hæc præfagia ac uelut signa præambula honoris & reuerentiæ, quam sanctæ huic & ter uenerabili cruci olim uniuersalis redditura erat Ecclesia, eo quod salutis hæc humanæ, cælorum reuerationis, publicationis pacis, remissionis delictorum, & totius mundi redemptionis fuerit instrumentum. Preter hic mihi Apostolus Paulus dicens, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & ueris-*

Marsil. Fic. cin. lib. de triplici uita.

Cruz symbolum uirg. & spei salutis.

Lib. 1. c. 19.

Lib. 3. cap. 17.

Lib. 8. de honesta disciplina.

Ephes. 1.

remissionem peccatorum.

Ut quod dico verum esse comprobetis, ipse Dei Filius, supremus Dominus noster, laudam & admirabilem crucem suam in medijs Ecclesiae castris, velut regium quoddam vexillum erexit, crucem inquam gloriosissimam carne sua consecratam, & pretiosissimo sanguine irrigatam. Ut sic evidens fiat, eam solam esse ductricem, & candidum vexillum, sub quo omnes Dei servos ac milites generose decertare oporteat: esse fidelium insigne, Christianorum omnium aquilam, ac regium Ecclesiae signum: esse terrorem gentium, idolorum ruinam, bonorum securitatem, peccantium solamen, hominum simul & Angelorum gloriam, haereticorum confusionem, ac daemonum formidinem.

Crucem Eccliae vexillum

Cap. E. 20.

S. Hieronymus in haec Ezechielis verba, *Signa Thau super frontes virorum gementium atque dolentium*, scribens, ait sane perquam curiose, litteram hanc *Thau* Hebraico inferatam alphabeto, olim apud praesatos Rabinos crucis imagine ac figura exprimi solitam. addit insuper, Sacerdotem Esdram, è captivitate Babylonica reducem, veteres characteres aboluisse, & novos adinvenisse, ne Hebraei & Samaritani in litterarum characterumque efformatione coinciderent, & ut *utroque* scribendi ratio diverfa foret.

Classica historographus

Isai.

Quin imo Chassanaeus historicus insignis, *Thau* ait signum ac veluti vexillum uniuersi populi Israelitici fuisse, uti Romanorum aquila. In huius rei figuram mundi Redemptor discipulos suos per uniuersum orbem Euangelium divulgaturus emittens (ut olim praedixit Isaias) inter caetera hoc illis iniunxit dicens, *Super montem caliginosum leuate signum, exalate vocem, leuate manum*, id est, per uniuersum orbem infidelitatis tenebris ac caligine oppletum praedicare non minus opere, quam verbis quasi diceret, Non verbis modo praedicare, nec satis sit etiam doctrinam operibus manuum, id est, miraculis confirmasse, verum etiam crucis signum extollere, ipsumque apud omnes terrae nationes gloriosum & admirabile reddere.

Quidquid in cruce Christus

Vere & reapse haec Prophetia adimpleta fuit. Crux namque adeo gloriosa facta est, tantaque afficitur veneratione, ut quidquid

in eadem Christus est operatus, omnes quos per eandem comparauit thesauros, & omnes honorum titulos, quos in eadem nactus est, vni cruci adscribamus, eamque omnia haec operatam dicamus. Docuit hoc me S. Augustinus, qui non aliter de cruce, quam de crucifixo Christo Iesu loquitur, eique non minus salutis nostrae bonum ac salutem, quam Messiae attribuit. *Crux*, inquit, *de erroribus nos liberauit, sedentes in tenebris & in umbra mortis illuminauit, ac nos Deo coniunxit, & eidem, quem toties delictis & sceleribus offendimus, reconciliauit.*

fecit, eidem cruci attribuitur

August.

O mirabilia! o mysteria! Quemadmodum in incarnationis mysterio humana natura in tantum exaltata est, ut propter unionem hypostaticam, quae inter diuinam & humanam naturas reperitur, per ipsam idiomatum communicationem quidquid vni conuenit, conueniat & alteri, & propter admirabilem hanc communionem humana natura adeo extollatur, nobilitetur, ac potens fiat, ut quamuis e se ipsa nihil omnino sit, omnium nihilominus attributorum, titulorum, qualitarum ac perfectionum diuinarum participet, quin imo Deus, Saluator, Creator, omnipotens, summe bonus, summe infinitus dicatur, alijque diuinis nominibus donetur: Non aliter etiam in mysterio passionis, sacra Iesu Christi crux, propter eximiam illam eius cum filio Dei unionem adeo magna, potens, illustris, inclita, honorabilis, admirabilis, adorabilis, sancta, ac venerabilis reddita est, ut, etsi non nisi rude & impositum ipsa sit lignum, quinimo infamiae ac probri nota, ad tantam tamen honorem euecta sit, ut quidquid de Christo dicitur crucifixo, quidquid in eius accidit morte, quidquid eiusdem nobis passio representat, ei velut ipsi auctori ascribatur, atque ut crucifixum compellamus, ita & crucem eiusdem salutemus, *O crux aue spes vnica*, qua Saluatorem inuocatione, eadem & crucem imploremus, & quo cultu vnum, eo & aliam afficiamus. Crux ergo omne Ecclesiae decus est, ornamentum & gloria.

Crux mirifice exaltata in passione filij Dei.

Mystice olim Dei ore, in huius rei figuram praedixit Isaias, *Figam illum parvillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam, vasorumque, deuersa genera.* Ut vero manifestum fiat, de quibus propheta vasis loquatur,

Isai. 22.

2. Tim. 2.

Christiani
omnes à
cruce de-
pendent.

exponit Apostolus Timotheo suo scribens, *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Quibus Apostolus verbis aliud non significauit, quam esse in regia Ecclesie domo diuersa valorum genera, alia aurea & argentea, id est, viros sanctimonia vite illustres & summum perfectionis gradum iam nactos, alia vero lutea & lignea, id est, reliquum Christianorum & fidelium cœtum. Hec ergo vasa, quacumque demum materia consentent, à crucis ligno & paxillo dependent: nullum siquidem in Ecclesia vas est, homo nullus, qui non sacra hac cruce opus habeat. Hinc Christiani omnes, & animæ tam sancte, quam peccatis infames, communis illius debiti nominibus huic obstrictæ sunt, & tam aurea vasa & argentea, quam lignea & fictilia, id est, omnes, tam perfecti, sancti, pijs, quâ incipientes & peccatores, à cruce dependent, omnisque ipsorum gloria non nisi à sola cruce procedit. S. Paulo, non mihi credite dicenti, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*; hæc etenim sola gloriæ meæ subiectum. Quod vero de se Pauli, hoc de seipsis reliquorum Sanctorum fuit iudicium, omnes namque mortales cruce indigent, & redemptionis suæ felicitatem augusto & venerabili huic ligno acceptam ferre debent.

Gal. 6.

Exod. 24.
Meb. 9.

Figura sit, quod in Exodo legimus, & deinde ab Apostolo in epistola ad Hebræos repetitum, *Etiâ tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit, & omnia pepere in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Omnibus huic ceremonijs, vt ostendit Apostolus, aliud non innuebatur, quam non laicos modo & profanos, sed & librum & altare, & omnia vasa ministerij sanguine emundari, id est, verbo vt dicam, non publicos modo & manifestos peccatores pretiosi Iesu Christi sanguinis lauacro, crucisque merito opus habere, verum etiam sanctos & iustissimos quosque, Confessores scilicet, Martyres, Apostolos, & omnes omnino mortales. Magnus ergo crucis est honor, & sublime admodum ipsa cuncta est.

Quamobrem Ecclesia Catholica hæc om-

nia considerans, & quam ingentibus sit ipsa cruci nominibus deuincta, perfectum habens, sollennem illi festiuitatem, sub Exaltationis eiusdem titulo instituit, vt eam tam orbi gloriosam & celebrem reddat, quam ab omnibus Christianis & fidelibus adorari colique meretur. Eam ob causam Euangelium nobis proponit, in quo crucis simul & passionis memoria recolitur, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ad digne materiam hanc, & prout oportet deducendâ, binembrem eam faciam, primo per crucis præconiorum campum discutram, deinde eius exaltationem & festum hoc concernentia prosequar.

Principio ergo sanctissimæ ac sacratissimæ Iesu Christi crucis maiestas, excellentia, dignitas tanta tamque admirabilis est, vt eam inde ab orbis primordijs diuersimode in sacris Litteris figuratam adumbratamque conspiciam. Nam in ipso Genesios limine præfatis illa vite arbor, in medio paradisi terrestri constituta, crucis arborem mihi repræsentare videtur, quæ Iesum Christum in se ferens, vite fructum protulit, & in monte Caluarie fixa, deinde in mundi medio constituta fuit.

Noe arca, mundi reliquias ab insurgentibus diluuij vndis conseruans, crucis mihi etiam virtutem designat, cum per candentem verus Noe mundum vniuersum furibundo aeternæ damnationis diluuiio eripuerit.

Inde ulterius progressus, & oculos in viridantem illum oliuæ ramum conijciens, quæ in pacis ac reconciliati cum Deo mundi & a quarum subsidentium signum columba redud attulit, deinde & respiciens arcum illum diuersicolorem in aere promicantem, quem foederis sui cum hominibus esse Deus notam voluit: ipse mihi persuaideo, duo hæc crucis Dominicæ symbola fuisse: quæ vt egregia quædam oliua, pacis nostræ signum fuit, ac testimonium irati numinis furorem pacatum esse, & velut admirabilis quædam iris, foederis & reconciliationis inter Deum & homines, inter creatorem & creaturas intercessera.

Progredienti porro longius, & propius intuenti tum lignum sacrificij Abrahamici,

Gen. 11.
Exod. 4.

tum scalam Jacob, tum etiam baculum, in quo Iordanem fluuium transfudauit, denique etiam Mosis virgam, ilico in mentem venit, hæc omnia arboris crucis signa prænuntia existisse: quæ modo lignum sacrificij Iesu Christi in eius passione, modo scala in cælum erecta, quo per eandem in cælum ascendamus, modo baculus regis Patriarcharum, quo vndantem tot potnarum torrentem tranauit, modo denique & virga fuit, quæ peccatorum serpentes penitus deuorauit, & tot est operata prodigia.

Nom. 31.
Exod. 16.
Ios. 5.
Ios. 2.
Iudic. 5.
1. Reg. 4.
1. Reg. 18.
Eph. 11.

Sed nondum hic finis, quo plures comparationes produco, eo & alia plures nihil minus quærenti occurrunt, quæ etiam omnes particularia mysteria repræsentant. Cum enim contempler pericam illam oblongam serpente æneo in deserto præfixo, lignum item aquas amaras dulcorans, clypeum illum Iosue, funiculum quoque coccineum in domo Rahab dependentem, Torcular illud Gedeonis, curru Philistinorum, baculum illum Dauidicum, quo colosseum illum Goliadam solo prostrauit, auream illam Assueri Regis virgam, denique signum Dei viui, cuius Apocalypsis meminit, non possum, quin credam, hæc totidem esse notas, & mystica velut emblemata, ad crucis mirabilia denotanda, vt pote quæ semper & fuit, & est, & erit vbique & in omnibus admirabilis.

Crucis e-
logia.

Ipsa namque Christianorum spes est, desperantium securitas, in tempestate agentium, & procellis vndiquaque agitatorum portus, agrorum & clinicorum medicina, scelerum effugatio, ad sanitatem recuperandam remedium, mortuorum vita, impietatis proscriptio, blasphemiarum exilium. Crux est imperius aduersus inimicorum rabiem, vmbro, regium sceptrum, pulchritudinis diadema, virga potentis, fidei propugnaculum, seneclutis scipio, cæcorum ductrix, & in terra caligine versantium lumen. Crux est ignorantium doctrina, paruulorum disciplina, peccati abolitio, penitentis exemplum, vitæ reconciliatio, mortis solutio, & regni cælestis clauis.

Crucis E-
pitheta.

Ipsa noctu excubatrix est, interdiu arx & vallum, lucis columna in tenebris, supplicij refugium, amicorum solatium, in tentationibus auxilium, in afflictione suppetiæ &

fulcrum, in necessitatibus lenimentum, in mari directio, in arumnis ac malis refocillatio. Ipsa imbecillium robur, meticulosorum animatio, laborantium quies, indigorum alimonia, ieiunantium refectio, nudorum vestis, & pauperum omnium decus & ornamentum.

Qualitates
& tituli
crucis.

Crux rursus viduarum protectio, orphanorum tutamē, minorum tutela, magistratum gloria, sapientium academia, Christianorum philosophia, Sæctorum omnium Theologia, Angelorum stupor, Regum potentia, militum victoria, Pontificum gloria, Religiosorum professio, Anachoretarum dulcedo, & omne Virginum delectamentum.

O mirabilia, finem non inueniam, nisi vno velut sub fæce vniuersa complectendo dixerò, crucem esse totius vniuersi miraculum, terræ benedictionem, rerum publicarum custodiam, regnorum securitatem, Ecclesiæ armamentarium, esse Scripturarum summarium, legis cõpendium, prophetiarum finem, sanctorum Sacramentorum scaturiginem, mysteriorum originem, Iesu Christi triumphum, scientiarum & virtutum scholam, & omnium huiusmodi quæ vnquam in mundo euenerunt miraculorum ac prodigiorum coronidem ac complementum.

Crux ta-
bula post
naufragiū.

Crux denique enatantibus post naufragium tabula est: iustitiæ namque originariæ cymbala diffracta, & ad protoplastæ peccati scopulos illisa, triste omnes in misero hoc pelago primo parente pereunte naufragium fecimus: verum Christi crux auxilij tabula est, quæ post feralem hanc nauis iacturam & submersionem, ad æstus impulsam agitationemque hinc inde in procelloso hoc oceano iactatis offertur, vt ventorum rabiem declinent, tempestates euitent, vitamque in tam præsentaneo periculo periclitantem in tuto collocantes, ad optatum alterius vitæ portum enatare queant.

Crux scala
cœli.

Ad hæc, crux scala est, cuius adminiculo in cælum penetremus, cælum quippe sublimè erat ac longe distitum, scala, roinde querenda etiam altissima, per quam eodem homo ascendat. Hanc Deus ipse adinuenit, filijque sui crucem scaltæ huius usum supplere voluit: cuius imago exstiterat scala illa, quæ in Genesi conspexit Iacob stantem super terram, & cuius cacumen intra nubium abdita penetraret. O admirabilis Dei prouidē-

Gen. 28.

tia & sapientia Idum ex scala , per quam latrones & malefici ac perduelles ad aeternam descendebant mortem,scalam fecit , per qua iusti ad vitam ascenderent sempiternam. Sic enim philosophatur sanctus Leo: *De instrumento*, inquit, *quod iniquitas Iudaeorum parauit ad poenam, potentia Redemptoris graadum nobis fecit ad gloriam.*

Leo ser. 4. de passione.

Meminit Genesis arboris cuiusdam mirabilis, quae tum boni, tum mali scientiam gustantibus afferret, & cuius esu primos humani generis auctores prohibuit Deus. Scio arborem hanc mille conceptus suggerere, & anno toto concionaturo praebere materiam posse. sed in praesentiarum mihi satis fuerit dixisse, Filij Dei crucem vere hanc scientiae boni ac mali arborem esse: eius quippe adminiculo discimus, perspicueque cognoscimus, quantum sit gratia ac gloria bonum, quam enorme vero sint peccata malum; cum ad illam nobis acquirendam, ab his vero nos eripiendos, verbu eternum in cruce emori, & intolerabiles & grauissimos perpeti cruciatu oportuerit. Quicumque ergo in his materijs perfici ac scientia cupit, perfecteque & bonum & malum, gratiam & peccatum nosse, in cruce studeat, & arborem hanc curiosè contempletur.

Crux arbor scientiae boni ac mali.

Hymnus Ecclesiae in laudem crucis.

Ecclesia crucis mirabilia & laudes profecuta, hoc illam modo salutat, *Salue crux sancta salue mundi gloria: vera spes nostra, vera ferens gaudia, signum salutis, salus in periculis, vitale lignum, vitam ferens omnium.* Merito autem lignum vite appellatur, vere namque arbor vite existit, non in medio paradisi terrestri consita, sed in mundi medio.

Lib. 10. c. ult. Hom. 83. in Ioan. c. 19.

Patres vero veteres, ut Cyprianus serm. de resurrectione, Epiphanius libro de haeresibus, sanctus Augustinus sermone 71. de Isaac immolatione, S. Chrysostomus in homilijs in Ioannem, alijque plurimi, omnes hi in qua Patres tam Graeci quam Latini docent, crucem sanctam, admirabili quadam Spiritus sancti prouidentia, protoplastae Adami sepulcro impositam esse, atque exinde montem Caluarie esse appellatum, eo quod generis humani caput ibidem esset loci tumulatum, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Et uti primum caput ex arbore vetita vetitum fructum comedens, nos omnes infecit, & in

peccati abyssum deiecit; ita secundu Redemptoris nostri caput, excellenti arbori crucis se coniungens, nos ad se pertraxit, vitaeque nobis fructum attulit.

Ceterum varias ob causas crux vitae dicta est arbor. Primo ob fructum, quem in se tulit, Iesum Christum inquam, qui vera est vita: utpote qui de seipso asseruerit: *Ego sum via, veritas & vita.* Secundo propter effectus, eo quod vitam reddat ijs, qui eandem amiserunt. quo referri queat illud e Prouerbijs, *Lignum vitae est his, qui apprehenderunt eam.* Ut enim arbor in paradiso plantata virtutem habuit vitae in hominem transferenda, qui immortalitate alias perpetua non floruit: sic noua haec arbor, sacra inquam crucis arbor, vitae nobis restituenda potestatem habet. Tertio eo quod vitam nobis conferret. Figuræ loco sit, quod vidisse se Ioannes dicit arborem vitae iuxta aquas consitam, & duobus fluuijs interiectam. Erat hoc verum crucis emblema, quae vera vita est arbor, prope tormentorum, poenarumque aquas sita, & inter duos fluuios, id est, utriusque testamentum media: praedixerunt namque eam Prophetae, agnouerunt Apostoli; ita vero quod legem quoque simul & Euangelium complectatur.

Crux arbor vitae varias ob causas. Ioan. 14.

Prou.

Apoc. 22.

Eia ergo, Christiani auditores, animos cogitationisque sustollite, & cum haec auditis verba, *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: notas facite in populis adinventiones eius.* Arbor quae infauit mortifera esse solebat occasio, diuinitus eius natura immutata, gloriam nobis ac vitam vice versa attulit. Licite mihi obsecro, si quae in mundo arbor daretur, quae, cum hactenus naturalem pro more fructum tulisset, natura commutata, alium cumque penitus contrarium progerminaret, multi dubio procul ambigerent, eadem num arbor foret, vel forte alia quaequam, aut saltem, si eandem & non aliam esse certi essent, non mediocriter sane obit. pelerent, & nouum hoc prodigium mirarentur. Nec profecto sine causa, nam iuxta Euangelicum testimonium, ex fructu arbor cognoscitur. (*fructus eorum cognoscite eos*) Exepli causa, si quem rubu, non nisi spinas aut siluestres baccas proferre solitum, videas subito, nobiliori assumpta conditione,

Mirabilia Dei inuentiones.

Simile

Matt. 7.

poma

poma aurea & cidonia ex se vulgo progignere; an non æterni stuporis hoc causa foret & occasio?

Ecce porto, vt arbor crucis, quæ infectum prauumque maledictionis lignum ferre solebat, de qua nimirum in Deuteronomio scriptum est, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, naturam repente & conditionem exuerit, aliamque assumpserit, ac fructum protulerit penitus contrarium, Iesum Christum videlicet, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Arbor inquam peccati ac mortis in gratia ac vitæ lignum conuersa sit, patibulum ac stipites infamiae in pyramidem honoris, columnam triumphalem, ac victoriæ trophæum transferit.

Hinc sancta crux, reorum vnicum est asylum, tempestate iactatorum portus, & peccantium omnium refugium: Adam peccato commisso, Domini de admisso præuentionis delicto poenam deposcentis voce audita, confestim aufugit, & vt Scriptura testis est, *Sub arbore vitæ, quæ in medio paradisi erat, se abscondit*. Ecquæ hæc fuga, Adame? ecquod subsidium, auxilium, ecquod tutamen, etiam aduersus iratum Deum, expectas, speras, aut tibi sub arboris huiusmodi frondibus fragilibus & caducis spondes? Videtur vero iam tum Deus Optimus Maximus peccantium cordibus inspirasse, sibi vt persuaderent, proprium ad vitam sibi tutandam ac conseruandam locum fore, ad arboris crucis pedem se conijcere, vt pote quæ vera vitæ est arbor, cuiusque fructus sane persapidus amor est & patientia.

Agar vna cum filio Ismaele è domo herili profuga, & per desertum vagans, cum ad sitim restinguendam aqua non suppeteret, visum filium præ sitis prope emori, dolore & tristitia tantum non extra mentis statum raptâ, ad arborem filium abiicit, dicens: *Non videbo morientem puerum*, atque ita paululum à prole recedens supplici Deum præce inuocat, sui vt commiseratione tangeretur, cui extemplo apparens Angelus ait, *Non timere, exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est*. O egregium & admirabile mysterium! vultus, auditores, à Deo obtinere misericordiam: cum ne vestri miseret?

à Dominica cruce nolite recedere, sed eidem potius affixi adhærescite: ad hanc namque mortis euadetis discrimen, ibi sitim restinguetis, & Angelica consolatio affulgebit. Quod autem Ismaelis pueri ad arborem expositi vocem, non vero matris ab arbore longius recedentis planctum Dominus exaudierit, in eo docemur, quantum homo mereatur ad sacræ crucis arborem gemens & plorans, ad hanc namque supplicationes nostræ ac vota exaudiuntur, ad hanc afflictionibus datur auxilium, hic animæ quies paratur.

Elias Propheta dum impiæ Iezabelis persecutionem & rabiem fuga declinat, & iam fugitando defatigatus sub umbra iuniperi se reclinat, quietis paululum captaturus, ecce, vt sacra narrat historia, eo loci alimentum refocillando corpori reperit: nam dum fortè fortuna circumspicit, ecce *ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ*. An non igitur ipsa multo oppressi, & ab inimicis vndiquaque exagitati ad sacræ hanc crucis arborem confugiemus, vt ibidem loci aliquâ in angustijs & aruanis quietem, in necessitatibus maximis recreationem & nutrimentum inueniamus? Nihil quippe sub hac deest arbore, ibi securitas, ibi quies, ibi mentis refectio, ibi omnis felicitas, omnis denique beatitas habetur.

O igitur fructuosum & perutile lignum! o arbor salutaris, ac beata millies! tu nempe Regis Regum solium fuisti, tu ara, in qua maximum omnium oblatum est sacrificium, tu theatrum, in quo fœnestissima, sicubi vnamquam vlla, exhibita est tragœdia tu arena & palastra, in quo cœuentum hoc inter tartarum & mundum certamen certatum est; tu denique iustitiæ pegma, in quo mors vitam, diabolus tyrannidem, peccatum malitiam, dominum carum, insecationem suam denique mundum amisit.

Hanc ob causam crucem Dei filius potissimum delegit, vt in ea generosissima quæque facinora sua operaretur, istque eandem consignaret, in ea pugnando mori & moriendo pugnare cupiens, idque varias ob causas: quarum tres hic aut quatuor potissimas adferam. Prima sit, vt rationi consentaneæ, & per iustitiæ viam, non verò violenter, vel omnipotentia suâ vi diabolum superaret.

Quo

Animæ quies ad crucis pedem.

Crucis laudes.

Cur in cruce Christus mori voluerit.

Deut. 21.

Comho. nis py. rati.

Gen. Allegoria.

Gen. 22.

Allegoria.

Coniunctio omnis ad crucis pedem referuntur.

Quoniam vero diabolus è superbia & magna sui præsumptione erigere voluerat cornua, seque efferre, ac velut Deus haberi, Iesus Christus è contra summa cum humilitate & abiecte admodum descendere & deiçi constituit. Et sane deiecit se, dum summo cum dedecore in cruce expirare voluit: tum temporis namque crucis iupplicium, Iudæorum ex sententia, probrosum & contèptibile erat quam maxime, atque hinc furore & rabie conciti, & odio grauissimo in Saluatorem aeti, illud Sapientiæ identidem inter se aiebant, *Morte turpissima condemnemus eum.* Et Apostolus cum de Christi humilitate scripsisset, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, sufficere id eidem exprimens non putauit, nisi velut omnium probrosissimum adderet, mortem autem crucis.*

Secunda; mori idcirco Dominus in cruce voluit, vt ratione ad delicti nostri reparationem & aptissima & conuenientissima pro nobis omnibus satisfaceret. In ligno parentes nostri peccarant æquum ergo & dignum per omnia erat, vt, sicut in ligno commissã erat offensa, altero in ligno, cruce nimirum, pro eodem Redemptor letus satisfaceret. quò respiciens Apostolorum Princeps ait, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum crucis.* Idcirco etiam in præfatione canit Ecclesia, *vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur* in monte Caluarie.

Tertia; cruce p. tissimum delegit mortis s.æ palæstram, vt hoc pacto figuras omnes adimpleret & quæ iam inde à mundi initio prophetiæ ac vaticinia præcesserãt, vera fuisse comprobaret; Serpentis scilicet ænei erectionem in deserto, sacrificium Iſaaci, immolationem Agni Paichalis, yacæ rufæ holocaustum, aliaque figuras clarissimas: vt de prophetijs nihil dicam, quas omnes adimpleuit, ac vere se signasse ostendit, dum in ligno crucis expirat, iuxta id Psalmographi: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.*

Quarta & vltima; tanta cum infamia, confusione, cruciatu, ac doloribus in cruce animam ponere voluit, vt suæ nobis patientiæ exemplo præiret, & eiusdem edoceret exercitium, simulque animos adderet, ad, si quã-

do Dei honos agitur, omnia in hoc mundo aduersa summa cum constantia & intrepide subeunda. Hinc neminem nostrum non hinc Prophete verbis compellat, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte crucem, si est dolor sicut dolor meus,* ac proinde similis patientia meæ. Et profecto vereor, ne vestra ipse patientia vicissim abutar tam diu primæ huic parti dicendo inherens, hinc canam receptui, & ad alteram dilabar.

Hodie ergo, Auditores, crux exaltatur, & ad exaltationem eiusdem extollitur & exaltatur humanitas in terra iacens, crux exaltatur, ac diaboli fastus & insolentia deprimitur; hodie Saluatoris erigitur vexillum, regia potentia, victoriarum signum, Apostolorum gloria, Prophetarum speculum, Martyrum corona; hodie crux exaltatur, atque i deo Iesus Christus adoratur, vt Dei filius agnosceatur, terra tremit, petra diffunditur, monumenta patefunt, mortui ad vitam redeunt, sol deliquium patitur, caligo densissima orbi incumbit, & maxima & inaudita in aciem prodeunt prodigia.

Hodie inquam crux exaltata est, & Iudaicis ritibus ac carinohæ abrogata, ethnica ac gentiles superstitiones proscriptæ, fabulose deorum genealogiæ eunueræ, & verus Dei cultus & adoratio locum inuenit. Crux exaltata est, & vmbra typica figurarum eliminata; veritas edoceta, sacramentorum realitates instituta; simulacra comminuta, idola euerſa, diaboli perterrefacti, animalium sacrificia abolita, veteres ritus & monumenta suum amiserunt vsu. Crux exaltatur, & ecce Ecclesiæ construuntur, altaria sanctificantur, campanilia eriguntur, Sacramenta cõsecuntur, & verbu Dei toto annũtiatur orbe.

Verum crux hæc est secundum quatuor mensuras & dimensiones, quatuor orbis partibus adaptatas, exaltata. Primo quoad longitudinem, ad designandam scilicet patientiam & longanimitatem Dei in peccatorum poenitentia expectanda, ijsque tempore quo resipiscant, & ad mentem redeant indulgendo, vt testatur Iſaias dicens: *Exspectat Dominus, vt misereatur vestri, parcet vobis.* Atque hæc ob causã passim in sacris litteris longanimitas & patientia velut sorores cõiunguntur, &

Sap. 2.

Phil. 2.

1. Pet. 2.

Num. 21.

Gen. 22.

Psal. 50.

In cruce mori Redemptor voluit, vt patientia

Thren. 1.

III.

Ad crucis exaltationem Iudaismus & Gentilitas eunueræ.

Cruis exaltata secundum quatuor dimensiones.

Iſa. 30.

& Pfales inter alia Dei nomina, *longanimum*, & *multum misericordem* nuncupat; longanimum inquam ad puniendos delinquentes, longanimum ad illorum poenitentiam expectandam, sed ad miserendum quam promptissimum.

Secundò, etiam quoad latitudinem crux exaltata est; vt hoc pacto Christi in eadem morientis amor & maximus, & latissimus, & immensus, tum erga amicos, tum inimicos, erga Iudæos simul & Gentiles, tam in peccatores, quam iustos, denique omnes vniuersim homines, designaretur. Testatur hoc ipse, dum sic apud Ioannem loquitur: *Maiorem*

hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponas quis pro inimicis suis. Immentam hanc dilectionem in cruce ipse Dei filius nimis quam liquido spectandam dedit, in qua verè pro peccatoribus, quos habebat inimicissimos, vitam exposuit. Alio item loco ad eandem nos charitatem inuitans, Patris sui nobis exemplum ob oculos proponit, solem suum oriri facientis tam super iniustos quam iustos, & equali portione suum omnibus in genere creaturis sine acceptione personarum amorem cõmunicantis. Et profectò, qui in cruce eluxit, Christi amor latissimus fuit & amplissimus.

Tertio loco, crux exaltata fuit in altitudinem, iter vt nos cœlum versus edoceret; per eam namq; eodem ascẽdimus; ipsa scala est, per quam eodem penetramus, quamq; in ea erigi Christus voluit, vt manifestum fieret, se esse, qui eò animas nostras introducebat, & inde omnia ad se petrahebat, ac vi quodammodo rapiebat, si credimus iam olim dicenti: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, perinde ac si diceret, Animas in gloriam, corpora in immortalitatem inducam, & prædestinatos omnes ad salutẽ & vitam aeternã petraham. *Omnia traham*, id est, omne hominum genus, Iudæos, Gentes, Græcos, Latinos, etiã homines maximè barbaros. *Omnia traham*, capitis inclinatione, brachiorum extensione, lateris apertione, pedum fixatione, & manuum perforatione; hanc nempe ob causam eas aperui, vt ostendam dare me facilẽ, configi volui, dare misericorditer, & perforari sui, dare liberaliter.

Crux denique profunditate exaltata est; *Supplement. Bessai.*

vt hinc iudiciorum Domini abyssus, inuentionum eius ineffabilitas, conceptuum arcenum, & mysteriorũ obscuritas liquido pateat. Quatuor ergo hæc proportionales ac dimensionales designat, quatuor orbis limites & plagas crucis, huius participes fieri: summitatis quidẽ beatos, partis infimæ animas purgatorio expiãdas, & duorum laterum iustos simul & peccatores in mundo agentes, Adam & alios conceptus, summitas crucis Iesu Christi adumbrat obedientiam, pars ima humilitatem, latus dextrum misericordiam, sinistrum eius indicat paciẽtiam. Ergo exaltata sic voluit, vt inueniretur, agnosceretur, adoraretur, & eo ab omnibus amore diligeretur, quo ceteros ipse diligebat.

Eusebius Emiffenus de crucis exaltatione agens, non aliter Christum fecisse ait, quam profugatis inimicis duces & imperatores, quibus satis nõ est victoriã propalari, triumphos carmine decantari, & præclare gesta ab omnibus passim celebrari, nisi insuper eorum plagæ ac vulnera, & acceptæ bello cicatrices omnium oculis patefiant, Iesus Christus namque magnus ille regum Rex, nõ diuinitatem modò suam & humanitatem adorari coliq; voluit, victorias efferrè, & sua stratagemata & inuentiones admirabiles de prædicari; sed & crucem suam exaltari, passionẽ representari, mortẽ immortalibus præconijs celebrari, plagas semper in hominũ memoria conseruari, & quidquid nostri causa fecerat & tulerat, in Ecclesia sua recolere & festiuitate annua solẽne esse voluit: in primis verò, vt crux summo ab omnibus honore & cultu afficeretur, atque hoc hodierna festiuitas nobis sub eximio festoq; sanctissimæ crucis exaltationis titulo representat.

Cum igitur iuxta materiã pro crucis huius exaltationis dignitate & exaltate stylym exaltatam comperio. In primis ergo exaltata exaltata fuit, quòd eam Christus Dominus honorarit, dum illam velut regis sue dignitatis thronum selegit, in qua regnare voluit; seque exaltatum esse ait, cum eidem affigitur, *Ego si exaltatus fuero*. Reges quoque nonnulli eximios ac superbos quosdam thronos cõstruxerunt, quos cathedras, sedes & tribunalia regnorum vocitauerunt. Sic de Assuero in libro

Esthice

Yyy

Esther legitur, *Ille autem sedebat super solium regni sui, indutus vestimentis regis.* Antè de Salomone dictum est, cõstituisse illum thronum eburneum, auro purissimo cõuestitum, atq; hunc è mundi miraculis fuisse, *ut non sit factum tale opus in vniuersis regnis.* Tandem ipse regum Rex in mundum veniens crucem in sedem regalem delegit ac regni solium. Vnde Psaltes sic de eo canit: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, & in iigno: sic namq; legit S. Augustinus & alij plurimi; quam etiã lectionem confirmat Ecclesia, dum canit: Impleta sunt qua concinit Dauid fidei carmine, dicens: In nationibus regnauit à ligno Deus.* Cæterum Dauid & Ecclesia per lignum hoc S. Redemptoris crucem accipiunt, quam Dei filius in regni, & imperij solium delegit.

**Crux eo
latriæ cul-
tu adora-
tur quo
Deus.
Ezech. 17.**

Secundò, Christus crucem exaltauit, cum eam sic honorauit & condecorauit, vt quæ antea maledictionis, opprobrij, & cõfusionis apud mundum, & maleficorũ infamiæ erat occasio, modò theatrum honoris & gloriæ facta, supra Regum & Principum vertices elata sit, & eodem latriæ adoretur cultu, quo Deus ipse. Magis sanè & altius efferri non poterat, neue eius maiestas euehi sublimius. In quo mysticũ illud Ezechielis præfagium completum fuit dicentis: *Et scieni omnia ligna regionum, quia ego humiliavi lignum sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Quem locum D. Hieronymus Christo affixo cruci adaptat, in qua videlicet Satanæ regnum dissipatum est, & Christi imperium confirmatum. Crux erat haud dubiè arbor arida, ligauitq; abiectissimum ac vilissimum, sed à Iesu Christo mirificè fuit exaltatum, & omnigena viriditate exornatum.

Aug. in Ps

Huic proposito conuenienter, & semper ad crucis præconium, S. Augustinus exponit illum Psalmsi versum: *Brachia peccatorũ conuerentur;* & adiungit, *A locis suppliciorum crux fecit transitum in frontes Imperatorum, & sceptræ Regum.* Eodem itidem sensu Chrysostomus locutus est: *Lignum, inquit, quod fuit olim vilissimum, exaltatum fuit tempore passionis, cum Christo fuit applicatum, quod tum quidem vniuersum mundi pretium, honorem, splendorem, ac decus in ea continebat.*

Chryso

Addit idem auctor crucẽ hanc in die iudicij mirificè exaltandam, cum in cælo velut regium quoddam vexillum hominum simul & angelorum, & victoriarũ à Messia relatarum testimonium ac signum apparebit, quod & ipse Dei filius in Euangelio prædixit, dicens: *Tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Videbitur eadẽ tum plena gloria & maiestate, vt olim opprobrio, dedecore, ac vituperatio plena visa fuit. Sustinebũt & gestabũt eã tum Angeli ac Seraphini, quæ olim à tortoribus, reis ac maleficis tractabatur, inquinabatur, ac profanatur. Sublimis denique tum conspicienda erit, vt iustis & beatis solatium; damnatis, desperandũ ac diabolis terrorem ac ægritudinem antmi afferat.

Et sanè crux, antequam in ea Redemptor exsparet, apud barbaros & gẽtes, imò etiam Romanos, alioquin sapientes, pios, & omni in re vtcumq; religiosos, vt in fame quid, infaultum ac ominosum habebatur; adeò, vt teste Plinio, canes hi ex eadem suspenderent: cuius fauæ superstitionis hæc fuit ratio; quod Gallis olim Capitoliũ occupantibus, canes, quorum erat allatrare, obmutissent, anseres verò clangore ac strepitu vigiles excitassent: hinc populus ille in canes iratior, eos vt prodicionis in temp. & perfidie reos in furca enecabat. Suidas quoq; ad confirmandum qua abominatione Gentiles crucem detestarentur, docet, Athenienses eius in sepulchro, qui inauspicato defunctus esset facto, aliquod crucis depingere genus solitos, velut euidentem infortum; & nefastæ abominationis notam. Hodie verò signum honoris est, à Christianis adoratur, & id Christus ipse è plebeio & obscuro nobilitauit, & è profano diuinum penitus reddidit.

Tertiò, ipse mundi Seruator crucem adeò exaltauit, eam vt propè diuinam effecerit, & hominibus iuxta & Angelis vt adorabilem proposuerit. Sic inter Apostolos Andreas crucem velut sanctum quid salutem, complectitur, adorat, omnemq; illi honorem & cultum defert. Paulus quoque in epistola ad Galatas crucis gloriam omnium rerum mundanarum gloriæ præfert, honoribus inquam, dignitatibus, regnis, & opibus affluentissimis, & ait: *Mibi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Vt eam Redemptor totam

Crux in die iudicij exaltanda.

Matt. 24

Crux tunc in infamis habitata.

Plin. lib. 17. c. 26.

Crux à S. Andrea adorata.

totam humanitatem suam diuinam planè reddidit, cum eam sibi vniuit, ita suo etiam modo crucem diuinitate beauit, cum in ea fixus & in eam sublatuſ est.

Quartò, crux non parùm exaltata fuit, cum per eandem CHRIS TVS omnia ad se attraxerit, vti & ipse olim prædixerat apud Ioannem præfagus: *Ego si semel exalta tus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Per crucem namque filius DEI omnia ad se pertraxit, omnia superauit, & ad se rapuit, & totus vniuersi se dominum ac principem constituit. Hinc mox vt de cruce depositus fuit, sibi de victoria relata ac hostibus subactis, quodammodo congratulatus, ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra.* Quin & Paulus Apostolus, cum multis eius patientiam & humiliationem ad vsq; mortem crucis exaggerasset, eam eiusdem exaltandi & magnitudinis ac gloriae comparatæ causam fuisse mox asserit: *Propter quod, inquit, exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Per crucem igitur omnia ad se pertraxit; per illam namque Tartaro insultauit, mortem pedibus lubegit, diabolos terrefecit, infideles conuertit, Philosophorum ora obturauit, Monarchas humiliavit, tyrannus est dominatus, idola ad terram deiecit, denique de vniuerso mundo luculentissimam victoriam retulit. O bella noua & nunquam audita! o victorias penitus admirabiles! Exclamem ergo cum Apostolo Gentium: *O altitudo diuinarum sapientia ac scientia Dei!*

Libro Iudicum scriptum est, Deo à tyrannica Sifarae seruitute Hebræos vindicante, in tanti beneficii agnitionem ac gratitudinem, Deborah & Barach præ gaudio in canticum ac iubilos prorupisse, & inter alia hæc canticum verba inseruisse: *Audite reges, auribus percipite principes: & quamobrem? noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Opera cœlestia, & admirabiles Dei effectus, noua bella, & inaudita prælia nuncupât, & quoniam Sifaram Regem fœminæ Iahelis dexterâ confecisset, hanc eiusdem eladem & internecionem suorum nouam bellandi rationem vocitant.

Insolita & inaudita hæc loquendi ratio proposito nostro egregiè deferuit; & nemo

non opera Dei considerans, dicere iure meritoq; potest: *Noua bella elegit Dominus,* Tubarum sono, non secus ac balistis, catapultis & feloperis, muros Ierichuntinos solo deiecit virga Mosaica Pharaonem & vniuersos Aegypti Principes consternauit, asini mandibula plurimos Philisthæos confecit; per imbellem & rudem ouium pastorem, Goliadam euertit cumq; vita exiit. Quod verò omnium est maximè admirandum, ignominioso & probroso crucis ligno vniuersū subiecit, imperioq; suo subegit orbem. Quam David victoriâ demiratus exclamat: *Dominus regnauit, exultet terra, latensur insula multa.* E quo loco, vt Tertullianus libro 3. contra Marcionem. Sanctus Ambrosius in 1. epistolam ad Corinthios, Augustinus in Psalmum 96. & Iustinus Martyr Dialogo cōtra Tryphonem docent Iudæos pro sua nequitia, rō à ligno erasisse, quod originale Psalms huius præferbar, sit verisimile; vt hoc pacto crucis mysterium euerterent, & quæ de eodē sunt testimonia ac loca, aut penitus ex hominum memoria tollerent, aut interpolarent.

Quintò, summoperè exaltata crux fuit, quod ipsa potissimū à Deo electa fuerit, quæ mundi redimendi instrumentum foret. Per crucis enim adminiculū peccatores redempti, & Deo æterno, quem offenderant, reconciliati sunt. Hæc Diui Pauli doctrina est ad Ephesios scribentis: *Per crucē interficiens inimicitias in semetipso.* Quibus p̄ Aitolus verbis insinuare vult, Christū Dominū ea quam in cruce subiit morte, omnes quæ Deum inter & hominem intercedebāt, inimicitias, & odia grauissima dissoluisse. Et ad Colossenses scribit: *Pacificans,* supple Christus, *per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, quantum ad homines, siue quæ in caelis sunt,* quantum ad Angelos. Quorum inter se societas ac necessitudo per passionem recoaluit; eò quod iusti per Christum redempti, in Angelorum societatem communionemque, velut coæquales, & eisdem iuris, admissi sunt.

Apud Sapientem locus est, qui proposito nostro mirè quadrat, in quo de arca Noë Sapiens loquens sic scribit: *Benedictū est lignum, per quod fit iustitia:* quæ verba potiori iure de sancta cruce repetere fas est; quod in eadē & per eandem insignis facta sit iustitia; vt potè

Lzz 2 cum

Crux à Deo electa, vt esset instrumentum nostræ redemptionis. Ephes. 2.

Col. 2.

Sap. 14.

cum genus humanum & captiuitate sit diabolica, qua tyrannicè premebatur, vindictam, & summo cum honore iam pristinam restitutum libertatem. Significauit & hoc ipse vitæ ac veritatis fons Christus, iam morti proximus, dicens: *Nunc iudicium est mundi,*

Ioan. 12. *nunc princeps mundi eicietur foras.* perinde ac si diceret, iam dudum est, quod mundus pessimè habeatur, quod eius possessionem diabolus iniquè ac præter fas & æquum violenter detineat; iam his hæc dirimenda, iam controuersie huic finis imponendus, & secundum mundum sententia pronuntianda, legitimo illum domino ac possessori assignando; tyrannus, qui præter æquum & malo titulo eum possidebat, iam foras eliminabitur, & omni quo fruebatur dominio, depelletur.

Cruce Christi facta paradisi clauis. Sexto, an non eminenti quadam ratione crux est exaltata, cum paradisi facta est clauis, & vitæ æternæ referatrix? Sic namque eam Isaias Propheta nuncupat; apud quem de Messia Pater æternus sic loquitur: *Dabo clauem domus David super humerum eius,* & in Apocalypsi leges: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Porro quam humeris Messias tulit clauim, alia non fuit, auditores, quam crux, quæ & cælos referauit, & portas tartareas oclusit. In cuius rei confirmationem erit, quod in crucis præconia effusus scribit Rabanus: *Cruce Christi, inquit, clauis facta est paradisi; in cuius figuram velum templi scissum est in Dominica passione in duas partes, à summo usque deorsum ut legitur Matth. 27.*

Matth. 27. D. Hieronymus hæc omnia etiam habet, sed alijs atque alijs verbis: *Sanguis Christi, inquit, clauis est paradisi; in cuius rei signum dixit ipse Christus ad latronem, cum penderet in cruce: Hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23. Septimo, ut tandem ad finem paulatim descendamus, mirum in modum ac sublimi quadam ratione Christi crux exaltata fuit; quod Dei virtus, robur ac potentia facta sit. Hoc namque nomine eandem indigerat S. Paulus; *Verbum crucis, inquit, peruenibus stultitia est; his autem qui salui sunt, virtus Dei est.* Quod autem Dei illa sit virtus & potentia, varijs ostendi queat argumentis. Pri-

mò quod in eadem diabolus debellaret, hominem iniquè tyrannidè exemerit, mortem euicerit. quod respiciens ibidem loci Apostolus subnectit: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Secundo, quod eius adminiculo viri sancti triumphum egerint, generosè & inuicta constantia, quæcumq; occurrebant pericula, tormenta & aduersitates superârunt: quod non sine illustri quadam virtute factum esse, sit verisimile. Ut enim ait Seneca: *Magni animi est iniurias in summa patientia pati.*

Tertio, per crucem tot tamque illustra patrari constat prodigia, dubitare ut nemo queat, quin magna quædam sit virtus. Signo enim crucis ægri & morbidum sanitatem recuperant, cæcis visus, surdis auditus, claudis pedum vsus restituitur, mortui ad vitam redeunt rediuiui; per crucem dæmones pelluntur, Sacramenta ministrantur, altaria consecrantur, aliaque mirabilia per eiusdem signaculum peraguntur.

Quarto denique & ultimo, quod vel sola eius memoria potens sit aduersus diabolicam tentamenta remedium; & vel crucis Dominicæ animo menteque meminisse aduersis quassatam, & tentationum procella exagitam animam tranquillare potest. Testatur hoc Origenes dicens: *Tanta est virtus crucis, ut si mente fideliter habeatur, nulla peccati praualarere possit inuidia; sed continue ad memoriam eius totius peccati & mortis fugiat exercitus.*

Quid ergo vobis iam, Christiani auditores, de sanctæ crucis nostræ honore videtur? quid de eius exaltatione? quid de eiusdem mirabilibus aut cogitatis aut creditis? An non igitur meritò mundi seruator dicere potuit, se ubi semel in eandem exaltatus fuerit, omnia ad se pertracturum? *Si semel exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me,* &c. sed quo loco Vulgata nostra legit, *omnia traham;* Græca volumina præferunt, *omnes traham;* omnes nimirum electos ac predestinatos. Vade efficiamus licet manifesta reprobationis in periculo versari eos, qui re demptoris sequi vestigia detrectant, ac signum crucis non eo ac par est cultu prosequuntur, quia verò negligunt.

Quamobrem proposito nostro consentanea in

Matth. 10. nec in Euangelio Redemptor ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* In huius rei figuram vidisse testatur Ezechiel, Angelus exterminatore obuios quosque neci dante, & sine vlla exceptione in quoslibet seuiente, eos solos ferientis manum neutiquam sensisse, qui signum Thau in frontibus praeferrent: Thau porro Hebraeorum littera crucis & symbolum & figura est. Innuere porro mysterium voluit, omnes hoc caractere non signatos, id est, crucis signum animarum frontibus insculptum non habentes in praesentissimo mortis, id est, damnationis, aeternae discrimine versari.

IV. Verba haec, *Omnia, vel, omnes traham ad meipsum*, etiam alium in sensum trahi possunt, dicens namque Dei filius, se, dum in crucem agendus esset, omnes ad se attracturum, significare voluit, electos se omnes ad crucem perducturum, vt vnâ cum ipso eadem affigantur. Id ipsum & innuit Apostolus sic Galatas compellans: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

Galat. 6. Notate hic, obsecro, *quod qui sunt Christi, qui enim sunt mundi, verè quidem crucem ferunt, tormenta patiuntur, maximo labore conficiuntur, noctu & interdiu exagitantur, vt auari, ambitiosi, libidinosi, ac lasciuji, qui dirissima grauantur cruce: sed nec carnem, nec vitia, nec concupiscentias cruci affigunt, vt in in eadem expirent; quod tamen omnes filij Dei haud grauât praestant.* Exemplo sit Apostolus, qui de seipso ait: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* eadem namque in cruce, quam gestabat, omne peccati, passionum, ambitionis, vanitatis, concupiscentiarum genus, & quidquid mundum aliquo modo sapiebat, affixerat.

Tertius horum verborum, *omnia traham*, &c. sensus esse etiam hic potest: Hocce beneficium ita meos mihi ipse deuinciam, vt ex amore, & gratanter & sponte ad me accessuri sint, & imitando mihi obtemperando me secuturi. Hoc item sensu capienda illa Lucae verba: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* quasi dicere vellet: Quicumque me diligere quaerit, meamque se clientem profiteretur, quicumque acceptarum à me gratiarum memoriam conseruat, easque animo af-

siduè recolit, suae renunciet voluntati, meam amplectatur crucem, & me sequatur.

Si armiger Ionathæ, vt è libro Regum 1. Reg. 14^o primo colligere est, tanto affectu adeoque liberè Dominum est allocutus: *Fac omnia quae placent animo tuo, perge quod cupis, & ego ero tecum, vbicumque volueris*, eandem subibe sortem, quo te cumque pericula abduxerint, indiuiduum me comitem habebis. Nec vana aut iactabundi verba: cum enim sit per rupes & praesentissima pericula, etiam per medios hostium cuneos secutus, Si fidus quidam seruus hero tam fidum addixit obsequium; nostrum quilibet potiori iure & maiori occasione, eadem mentis constantia, supremo omnium Domino, & animarum Redemptori dicat oportet: *Ego ero tecum vbicumque volueris*, Deus meus, per montium scilicet inaccessa, per inuia rupium imò & in cruce, in morte, & grauissimis quibusque persecutionibus & aduersis, quae dari aut fingi queunt. Hoc scilicet significat haec Saluatoris verba: *Omnes traham ad meipsum.*

Omnes, ait, eò quòd crucis & redemptionis per eam factae beneficium omnibus omnino commune fuit tam paruis quam magnis, pauperibus aequè ac locupletibus, non minus plebeis, opificibus & triuialibus, quam potentissimis regibus ac monarchis, Egregiam huius rei figuram suppeditat Exodus, *Primogenitum hominis pretio redimes:* quasi dicere vellet: Volo vt omnes filij hominum, cuiuscunque demum status, conditionis, & generis sunt, eodem pretio, id est, quinque siclis, redimantur. O ingens mysterium! Pastoris ouium, ac plebei filius eodem redimitur pretio, quo patricij & regis, quinis inquam siclis. Denotat mysterium, omnes nos aequaliter pariterque siue inopes & triuiales, siue potentes aut Imperatores fuerimus, quinque scilicet sacris Seruatoris vulneribus redimendos. Atque hoc innunt haec eiusdem verba: *Omnia traham ad meipsum.*

Triplicem interpretationis missum iam sideratio vobis intuli, addam & quartum: *omnes traham ad meipsum*, id est, crucis meae in tantam auitu & consideratione, promptos eos, aut dices citat.

Hebr. 11.

daces, & ad omnia malorum, laborum, aduersitatum, pœnarumque genera meo nomine subeunda animosos reddam. Vnde Apostolus omnes in genere Christianos commonefacit, vt crucis Dominicæ tormenta & dolores ad animum reuocent, ne fortè sub graui infirmitatis humanæ onere fatiscientes animo deficiant, Audite, quomodo Hebræos eodem cohortetur: *Recogitate eum, qui talem aduersus semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Nouerat videlicet magnus hic Apostolus, nihil esse ad afflictiones & aduersa toleranda, & hominem ad patientiam animandum, passionis Dominicæ recordatione fortiùs aut aptiùs. Persuasum hoc sibi quoque D. Gregorius habebat, cum scribit: *Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est quod non aquo animo tolleretur.* &c.

Reg. 4.

Consideratio crucis animat animas.

In huius rei signum, vel figuram potiùs scriptum est, Eliseum Prophetam paludes & lacunas Hierichontinas natura inspidas, amaras, & à Prophetis ob amaritiam bibi nescias, sale iniecto dulcorasse, potuique aptas reddidisse. Sanè tribulationum, & mundi huius aduersorum aquæ nimis quàm amarae sunt & inspidæ, ac non sine impatientia ac quadam mentis amaritie obibuntur; verum si considerationis sal, & Crucis ac passionis Iesu Christi memoria ijs iniiciatur, ilicò dulcescunt, & cum gaudio, consolatione, animique iucunditate suscipiuntur. Tam funestæ eruentæque passionis exemplum, animum vniuscuiusque emollit, & mollissimos, impatientissimos, ac morosissimos quosque inducit & animat, vt etiam ad grauissimos quosque fortunæ impetus, qui in vitæ huius stadio in hominem incurunt, intrepide excipiendo se parent.

Psal. 118.

Hæc igitur sancta & venerabilis crux, pia sanctæque animæ numquam memoriâ nostrâ excidat, eam semper in animo, & in mente habeamus, nec ab oculis vquam eam abesse patiamur. Cum per eam vita donati simus, vitam illi vicissim nostram, facultates & omnes fortunas impendamus necesse est. Agnoscens olim Psalmographus, quibus Deo deuinctus esset ob recepta beneficia nominibus, sic apud eundem confitetur: *In aeternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in*

ipsis viuificasti me. Idipsum simili in re & occasione repetamus, dicamus & omnes & singuli, eademque mentis animositate: *In aeternum obliuiscar crucem tuam pie Iesu Domine, quia in ipsa viuificasti me.* Verè inquam per eam vitæ participes facti sumus, per eam omnem beatitudinem accepimus, eius adminiculo in tribulationibus nostris robur & potentiam acquirimus, vt scribit Apostolus: *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salui fiunt, Dei virtus,* id est, robur quoddam diuinum. Potentia quippe & virtus Iesu Christi in cruce sita est, eò quòd per illam mundum ipse Patri irato conciliabit, omnigenamque orbi benedictionem comparabit. Per crucem & in cruce Christum itidem cognoscimus. Quòd & sponsa in Canticis innuit: quo enim loco vulgata versio præfert: *Sub arbore malo suscitauit se,* alia quædam legit, *cognouit se,* perinde ac si dicat: Numquam te, carissime mi, elatius perspicaciusque cognoui, quàm in crucis arbore, ibi namque perspexi & nimis quàm euidenter cognoui, ingentem, quo erga nos affeceris, amorem, & extremum quo nostri redimendi mundique saluandi flagras desiderium.

Verissimum porro est, animarum nostrarum Redemptor; nulla te in re perspicere, cognoscere, quàm in cruce, melius. Tua perspecta potentia est, cum aquis visus es inambulare, morbos pellere, mortuos ad vitam resuscitare, dæmones in fugam agere, aliaque illustria miracula patrare. Sapientia & scientia tua tum patuit, cum populum in deserto cruce abpauisti, in montibus docuisti, Scripturas exomnibus posuisti, tam illustres scitasti; parabolas procreaturis posuisti, inque Synagogis tam sublimè de cognitibus lege Mosæica discernuisti. Verùm in cruce potissimum tuus eluxit amor & affectus, quo humanum genus prosequeris: ibi demum patuit, ecquis esses, quam ob causam mortem oppeteres, & quare patereris. Centurio tuam hic demiratus patientiam, conspicatusque te pro inimicis ac crucifixoribus Patrem togare, te vt filium Dei agnouit: cælum, terra, clementia, & totus omnino orbis tuâ visâ potentia, te vt creatorem adorarunt, & suam prodigiosis effectibus adorationem etiam quadamtenus patefecerunt, cælum quidem deliquium solis patiendo, terra tremèdo clemen-

1. Cor. 11

Cam. 1.

Christus in creaturis

elementa naturam aliam induendo, & mundus vniuersus demirando. Nos verò infinitum, quem erga nos ibi declarasti amorem, quæ nobis indidem comparasti bona, vitam denique, quam nobis acquisisti, notantes, verum te esse Redemptorem nostrum agnoscimus, ex toto te corde ibi adoramus, & omne tibi obsequium, cultum, officiumque, velut supremo Domino nostro, deferimus: tuamque diuinam crucem amplexi, & eodem quo te ipsum adorationis ritu prosequentes, quam humillimè tibi supplicamus, vt, quem admodum illa Redemptionis nostræ exstitit instrumentum & argumentum, scala tandem fiat, per quam in caelos ascendamus: vbi æterna æternum gloria donemur ac perfruamur, ad quam nos vnus in Trinitate Deus Pater, & Filius & Spiritus sanctus perducere dignetur. Amen.

IN FESTO
SANCTI MATTHAEI
APOSTOLI ET EVANGELISTAE
Partitio.

- I. De efficacia verbi diuini.
 - II. De homine sedente in telonio.
 - III. De illis verbis: sequere me.
 - IV. De vocatione S. Matthæi eiusque sequela.
 - V. Cuius Binomius & Publicanus.
 - VI. De subita illius conversione.
- Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Matth. 19.

FIGVRA.



DHARAONIS Aegyptiorum regis filia, conspecto, dum quadam die propter ripam Nili inambularet Moysè puero in filicella ferpea super aquas magno vitæ discrimine exposito, inde eum auferri, periculo subduci, clanculoque educari iussit, educatumque & iam grandi ætate in filium adoptauit, & inter primarios regni Sarrapas connumeravit. Fortunatus hic euentus fuit, & fors bea-

tissima. Longè maior felicitas fuit, quòd Redemptor noster Iesus, Rex Regum, dum per mundum quæritans discurret, conspecto paruum quemdam Matthæum nomine, publicanum ac vêtè galium publicorum redemptorem, haud procul à mari Tiberiadis, æternæ mortis in discrimine agere, inde eum educit, ad sortem beatiorum vocat, inter Apostolos cooptat, atque inde in primos Ecclesiæ suæ principes assumit. O bonitas admirabilis! ò noua vocatio! quam vt eiusque partes in, eligatis, cælum sollicitemus necesse est, gratiam inde deuocaturi, & solitum Deiparæ patrociniū interponamus; quâ idcirco eū Angelo Gabriele salutemus, dicendo: *Aue Maria.*

Miros verbi Dei admirabilis effectus, & opera insignia olim demiratus meditatio Psalmographus, verbum id esse ait virtute plenū & magnificentia, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Virtutē illi adscribit, quod peccatoribus conuertendis peraccommo-
I
dum sit magnificentiam verò illi comitem adiungit, eò quòd insignem Deo afferat gloriam, eiusque potentia amplitudinem magnificet, & & infinitis modis exaltet.

In ipsum prope subiectum incidens Isaias Propheta, mundoque verbi diuini virtutem, & prodigiosos quos in animis mortalium producturū esset effectus à Christo Domino iam olim annuntiandū, repræsentās, cum alijs plurimis variisque de rebus egisset, ita tandē capiti finem imponit, *Pro saluunca ascendet vberibus, & pro vrtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum,* quasi diceret: Messias, vt eximius quidam concionator efficit, vt in Ecclesiæ suæ vixidario, territorio feracissimo & vberissimo solo, spinarū loco cupressi exerceant, pro vrticis myrti odoriferæ, atque eximii inde Deo honorem & immortalē gloriam redundaturā. Plurimi interpretes locū hunc perscrutantes, pro vulgata lectione: *Et erit Dominus nominatus in signū æternū* sic legendū censerent: *Et erit Deo in nomē & in signū sēpiternū:* eò quòd verbū Dei animas ad meliora traducens, carduos in rosas, spineta in oliuas, sycomoros in aurea mala, vrticas in odoratas myrtos, id est, peccatores in iustos conuertendo, magni illius Dei potentiam sublimè euehit, exaltat, immensamque eidem gloriam parit.

Hos